

*152. Instrumentum venditionis dei frati
del convento di S. Francesco in favore
della chiesa cattedrale di S. Gerardo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*152. Instrumentum venditionis dei frati
del convento di S. Francesco in favore
della chiesa cattedrale di S. Gerardo*

1453-10-03

(c. 206r) In nomine domini nostri Iesu Christi amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quadringentesimo
quingagesimo tertio, regnante serenissimo et
illustrissimo domino nostro domino Alfonso Dei gratia
Aragonum, Sicilie citra et ultra farum rege, Valentie,
Ungarie, Ierusalem, Maioricarum, Sardinie et Corsice
, comite Barchinone, duce Athenarum et Neopatrie ac
etiam comite Rossilionis et Ceritanie, regnorum vero
eius huius regni citra farum anno decimo ottavo feliciter
amen, die tertio mensis octobris, secunde indictionis,
apud civitatem Potentie.

1

Nos Matheus Cappellan(us) de eadem civitate ipsiusque
civitatis annalis iudex pro ditto presenti anno ditte
secunde inditionis, Rogerius de Lauro de terra Athene
provincie Principatus, incola seu habitator civitatis
nominated, puplicus ubilibet per totum regnum Sicilie
reginali autoritate notarius et testes subscripti ad
hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto
puplico venditionis instrumento fatemur, declaramus,
notumfacimus et testamur quod nobis quibus supra
iudice, notario et testibus infrascriptis, accessitis et
convocatis ad ecclesiam Santi Francisci de Potentia
ad instantiam providi viri Pascarelli Pagani de ditta
civitate Potentie, procuratoris, ut dixit, conventus Santi
Francisci preditti, et venerabilis viri fratris Viti Pagani,
guardiani ditti conventus, ad sonum campane in unum
ibidem pariter congregati, asseruerunt ditti Pascarellus
procurator ut supra // (c. 206v) et guardianus se velle
oportune in aliquibus partibus dittam ecclesiam Santi
Francisci reparare et reparationem aliqualem facere
Il computo dell'era regni è per anno incipiente allungato.

efficaciter, in comodum et utilitatem ecclesie supraditte, et asserentes proinde pro dittis reparationibus pecuniam pro manibus non habere, sed velle vendere et alienare quamdam po(ssession)em ditte ecclesie minus utilem et dapnosam ecclesie supraditte; considerantes ad invicem efficaciter dittam ecclesiam habere quamdam yscam seu terram laboratoriam sitam et positam in tenimento civitatis Potentie, in loco ubi vulgariter dicitur lo Molino de Santo Luca, minus utilem et profiquam ecclesie supraditte et causa reparationis ecclesie memorate, ipse procurator et guardianus predittus, una cum omnibus fratribus coram nobis in eadem ecclesia congregati ad sonum campane et ipsorum nemine discrepante, ex una parte, et venerabilis vir dominus Ioannes Patitarius, procurator ecclesie Santi Gerardi, ex parte altera, dittus quidem Pascarellus Paganus procurator ut supra ditte ecclesie Santi Francisci, cum voluntate prefatorum fratris Viti guardiani et omnium fratrum ut supra, non vi, dolo, metu coathus <sic>, nec aliquali suasionem induttus seu aliter circumventus, sed sua pura, mera et spontanea voluntate, sicut sibi pro parte ditte ecclesie utile, congruum et expediens fuit visum, pro reparatione et // (c. 207r) et utilitate ditte ecclesie commode faciendis, vendidit, alienavit et tradidit et per fustim corporaliter assignavit iure proprio et inperpetuum, eidem domno Ioanni Patitario procuratori, proprio nomine et pro parte ipsius ecclesie Santi Gerardi ac nomine et vice ipsius ecclesie presenti, ementi, recipienti, prefatam yscam seu terram positam in eodem tenimento civitatis Potentie ut supra, suis loco et finibus designatam, videlicet: ab inferiori parte iuxta flumen, iuxta corsectum monasterii Santi Luce; ab alio latere iuxta dittum flumen, iuxta terram ecclesie Santi Girardi et alios fines. Et dittus

venditor nomine ditte ecclesie Santi Francisci et fratrum conventus eiusdem prefatum emptorem, nomine et pro parte ipsius ecclesie Santi Girardi, in corporalem possessionem ditte isce seu terre coram nobis per fustem induxit ad verum dominium et proprietatem ipsius ecclesie Santi Girardi, ad habendum, donandum, vendendum, alienandum, possidendum, permutandum, nec non et quocumque modo voluerit dittus emptor vel ipsa ecclesia Santi Girardi et successores eiusdem ecclesie alienandum, cum viis suis ad dittam terram intrandi et exeundi, francam, liberam et exemptam ab omni reddito sive censu atque cum omnibus aliis pertinentiis et iuribus suis sibi pertinentibus quovis modo; pro qua quidem venditione dittus procurator // (c. 207v) venditor ut supra coram nobis confexus fuit se manualiter recepisse et habuisse a ditto domino Ioanne emptore, nomine quo supra et tamquam plus dante et offerente, observatis et reservatis sollemnitatibus singulis que in talibus requiruntur et de iure observari consueverunt et debent, nomine pretii, in carlenis argenti ponderis generalis usualis pecunie regni huius, uncias quatuor, totum silicet pretium venditionis ipsius, promittens dittus venditor tam pro se quam procuratorio nomine et pro parte totius conventus Santi Francisci ditto donno Ioanni emptori, ut supra, ipsius ecclesie santi Girardi vel ipsi ecclesie et successoribus suis stipulanti, litem, controversiam vel questionem aliquam de ditta terra sive ischa ullo umquam tempore non inferre, nec inferenti consentire vel assentire, sed dittam iscam eidem emptori, nomine quo supra, vel ipsi ecclesie Santi Girardi ab omni homine et persona quacumque legitime defendere, guarentire et disbrigare et de evictione teneri et dittam venditionem et omnia et singula supraditta

et infrascripta rata et firma habere, tenere et numquam contrafacere seu venire, per se vel aliquos quovis modo, in iudicio vel extra, de iure vel de facto, aliqua occasione, ingenio seu trattatu, sub pena et ad penam duppli pretii predicti, pro qua pena dictus venditor obligavit bona ipsius ecclesie Santi Francisci, medietate ipsius pene // (c. 208r) regie vel episcopali curie vel alteri curie ubi reclamatio fatta fuerit seu querela et altera medietate ditto emptori, nomine quo supra ditte ecclesie Santi Girardi et successoribus persolvenda, totiens quotiens fuerit exinde quomodolibet contrafactum, me predicto notario tamquam persona publica pro parte ditarum curiarum et ecclesie Santi Gerardi a ditto venditore penam ipsam solemniter et legitime stipulanti; qua commissa vel non commissa, exatta vel non exatta seu gratiose remissa presens nihilominus instrumentum, cum omnibus que in se continet, in suo semper robore et efficacia perseveret, ad refettionem <sic> omnium dannorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento dicti domini Ioannis emptoris et successorum ipsius ecclesie Santi Girardi, nulla alia probatione quesita. Et renunciavit super hiis dictus venditor nomine ipsius ecclesie Santi Francisci, exceptioni doli mali, vis, metus et in factum presentis non sic celebrati contrattus, exceptioni deceptionis et fraudis, legi ressorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur et omnibus aliis auxiliis et beneficiis canonicis et civilibus et beneficiis omnium legum et specialiter iuri dicenti generalem renuntiationem non valere // (c. 208v) et iuri per quod cavetur quod ditto iuri renunciari non possit, quibus et propter que dicta venditio possit in aliquo minui vel

infringi; pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis, quodque preditta omnia et singula vera sint, dittus venditor, nomine quo supra ipsius ecclesie Santi Francisci, prefato domino Ioanni, nomine ipsius ecclesie Santi Girardi, ad santa Dei evangelia iuramentum prestitit corporaliter. Unde ad futuram rei memoriam ac dicti procuratoris venditoris preces et dicti domini Ioannis emptoris et ditte ecclesie Santi Girardi et successorum eius cautelam perpetuam, fattum est exinde hoc presens publicum venditionis instrumentum per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, subscriptionibus mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum.

2

3

Quod ego predittus Rogerius de Lauro puplicus ut supra notarius qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo consueto signo signavi. (SN) † Ego Matheus Cavellus iudex annalis qui supra † Ego dominus Angelus Grossus archipresbiter Santi Michaelis testis sum † Ego dominus Angelus de Caputo testis sum † Ego frater Nicolaus de Tito abbas Santi Angeli de Bosco de civitate Potentie testis sum † Ego Ioannes Nicolaus de Ingannulo de Potentia testis sum

*Così S qui, in docc. coevi Mathias
Così S qui, in docc. coevi Cappellus*